



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvat̃is, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

399. De Assumptione B. Virginis. De Gloria B. Virginis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

ad se vocatam replet. 2. Sensus gaudij, qua
eam accipit Filius. Tertia operatio est sensus
ignei, nullique mortalium perceptibilis
amoris, quo Spiritus sanctus animam sibi
unit, & cum dilecta in coelum fugit. Ita
Dominus patefecit S. Gertrudi, lib. I. cap. 4.
Et expertus est B. Stanislaus praecordia Dei
amore flagrantia pannis in aqua frigefactis
refrigerare coactus. Petam aliquid caloris
ejus in sacratissima Eucharistia, idque petam
per lacrymas Beati, divinae dulcedinis vi ex-
pressas, & per ipsum cibum Angelicum co-
mundem manibus allatum, ut quem a Bea-
tissima Virgine Deum oblatum brachijs suis
gestavit in terris, ego in caelis eo fruam.

MEDITATIO CCCXCIX.

De Assumptione B. Virginis

De Gloria B. Virginis.

Videbo B. Virginem divinam virtute Dei
absorberi, sicut fervidus Sol stillam
toris exsiccat, & in coelum transferri, ac su-
per Angelos exaltari. Petam agnoscere ejus
gloriam, eique magis servire.

Cons. 1. Quod B. Virgo sit assumpta hora
3. Matutina, postquam pridie in Deum ab-
sorpta, & tam copiose divinis influxibus su-
perfusa fuisset, ut ab ea cum impetu resilie-
rit in modum stellarum lucentium radij

SS S charis

charitatis & gloriæ, quos Sancti colligebant, quia ex superabundantibus meritis Divæ gaudium hauriunt Beati; ita Dominus S. Gertrudi lib. 4. cap. 4.

Conf. 2. Affectum, quem B. Virgini Dominus exhibuit è corpore exeûti maximum, ut ipsa ibidem revelavit lib. 5. cap. 2. fuisse: *in hoc, inquit, magis delectabar, quia tam securum refugium, Fili mi, in ulnas tuas habui.* Cujus causam addit Dominus, *hoc Mater mea pro eo accepisti, quod toties dolorosis suspirijs Passionem meam in terris recolueris.*

Conf. 3. Aspiciendo Divam super omnes cœlos exaltari, cui festivè gratulantur Angeli. 1. Propter dignitatem Matris Dei, quâ nihil est in creatis sublimius. 2. Propter puritatem Virginitatis, cum Maternitate, neutram alteri adversam. 3. Propter exemptionem ab omni peccato. 4. Propter gratiam super omnes Angelos & Sanctos. 5. Propter virtutes perfectissimas, dona & prærogativas super omnes Sanctos. 6. Propter continuationem meritorum, ut semper mereretur. 7. Propter conversationem cum Filio DEI per totam vitam, quem parvulum gestavit, cui in omni necessitate providit. 8. Propter coronam Virginitatis, Martyrij & Doctrinæ, quia Virginum antesignana, gladius pertransijt animam ejus, Apostolorum Magistra
exstitit;

exstitit. 9. Propter abundantissimam gloriam animæ & corporis, quâ super choros Angelorum, & super omnem creaturam est exaltata. Distribuam hæc per Novem choros Angelorum, quibus comitantibus accedam ad sanctissimam Eucharistiam, ut innitas super dilectum, Dilectam suam ita alloquentis: *Quam pulchra es, & decorata in deliciis.* Cant. 3. Quasi diceret interprete D. Thoma, opusc. 58. cap. 26. *Delicato cibo & potu Corporis Christi, & Sanguinis enutrita, facta es multum decora, & idcirco grata DEO, & chara.* Orabo fieri DEO charus per intercessionem B. Virginis. Quam idcirco DEVS de presenti sæculo transtulit, ut pro peccatis nostris apud DEVM fiducialiter intercedat. Ita orat Ecclesia in Vigilia Assumptæ Virginis.

MEDITATIO CCCC.

Pro tota, & infra Octavam Assumptionis B. Virginis.

De Natura Contemplationis, & ad eam medit.

Videbo, quod vocatus ad contemplationem si ire negligat, idem agat, quod vocatus ad serviendum mensæ Regis, si abeat ad stabulum equis purgandis: è contrario non vocatus, se tamen ad contem-